



MEMORABILE
VENTRICVLI
STEATOMA



PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. IVLII MDCCLXXXVI.
SVPREMAM DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME MERITVRVS
PVBLICA DISSERTATIONE

DISCEPTABIT

AVCTOR

DANIEL FRIDERICVS BURCHARD,
STRAVSBERGENSIS MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

MEMORABILE
VENTRICOLI
STATOMA

FRASIDE

PETRO IMMANUEL HARTMANN

PHIL. ET MED. DOCT. PRAESIDIUM MIBUS IN UNIV. SING.
PUB. DOCT. CANTON. NAT. ET UNIV. SING. MIBUS
PUB. DOCT. CANTON. NAT. ET UNIV. SING. MIBUS
PUB. DOCT. CANTON. NAT. ET UNIV. SING. MIBUS

REBIS. N. S. DICANO

D. IVLII MDCCLXXXVI

SVBPRIMA DOCTORIS DIGNITATEM

ERGISTE MIBUS

PUBLICA DISSERTATIONE

DISERTATE

AUCTOR

DANIEL FRIDERICVS BURGARD

STRASVINGENSI MEDICINO



TRAECTI AD VIADRVM

E TYPOGRAFICO WINTERIANO

V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,

CELEBERRIMOQVE,

IOANNI GOTHOFREDO
MORGENBESSER

MEDICINAE DOCTORI, HVIVSQVE, ANA-

TOMIAE ATQVE CHIRVRGIAE PROFES-

SORI PVBLICO, ET COLLEGII ME-

DICI WRATISLAVIENSIS SO-

DALI MERITISSIMO,

FAVTORI SVO AETERNVM

HONORANDO,

H O A 2 7 A

SPE-

SPECIMEN

HOC ACADEMICVM

IOANNI GOETTEREDO

PERPETVAE REVERENTIAE

TESSERAM.

OFFICIOSISSIME DICAT

FACULTATI SUAE APTERNAE

HONORANDO.

AUCTOR.



PROOEMIUM.

Si, quae insolenter atque raro accidunt, nunquam non etiam essent gratiosa: non vereretur omnino, ne praesens, quam exponere fuscipio, materies lectoribus taedium sit allatura; quippe cum ad morbum spectat, et admodum infrequentem, et a nuperis pathologis fere praetermissum. Solus, si recte memini, VALESCVS de TARANTA a), vir sua quidem aetate haud ignobilis, sed eorum numero, qui nunc vulgo per vituperium *latino-barbari* dici solent, hunc ipsum ventriculi morbum rudi quidem, sed naturae conformi, stilo descripsit, suasque ad rationes reuocauit. Ineunte demum hoc seculo vir celeberrimus, GOTHOFREDVS SANDIUS b), in regio Borufforum monte rarum

A 3

huius

a) In *Philonio pharmaceutico et chirurgico*, Libr. IV. Cap. XVIII.

b) *Rarus ventriculi abscessus*; Regiomonte, CIOCCCI. et in *collect. Haskr. diss. n. 78.*

huius generis abscessum, in ventriculo natum, singulari exposuit dissertatione. Sed utcunque haec omnia sint, dabunt tamen lectores veniam pietati filii, nupera optimae matris morte adhuc moerentis et conturbati: quam ipsam, qui nunc describetur, atrox et clandestinus oppressit morbus. Quo in argumento ita versabor, ut primo huius morbi initia, progressum, illaetabilemque exponam finem; enarraturus deinde, quibusnam remediis nascentem adultumque adgressus sum morbum, omni humana ope superiorem. Ut autem summi mei doloris velut fomentum quoddam atque solatium haberem, tremula manu arripui cultellum, et inter ingratisimos animi adfectus optimae amataeque matris incidi corpus: ut apparent latebrae sedesque hostis, cui tantam debui iacturam, summa mea cura atque sollicitudine ineluctabilem. Quae hic sunt obsevuata, dissertationis supremam occupabunt partem. Miseremini filii, lectores, si forte in medendo deliquit: consolamini eundem, si recte egit.

§. I.

Nascentis morbi historia.

Cum autem in omnibus, quaecunque sunt, momento iam CICERONE a), verisimile est, causam antecedere: ante omnia breuiter ea narraturus sum, quae nascentem hunc morbum sunt antegressa. Aegrota haec, cuius morbum nunc describemus, paulo obesi erat corporis, et ad quinquagesimum vsque aetatis annum satis belle valere videbatur; licet eidem non multo post quadragesimum annum catamenia fluere desissent, nec natura, istorum vice, alias qualescunque purgationum vias expediuisset. Hypochondriorum incommoda, quae iam aliquoties vexauerant aegram, subsistente menstrui sanguinis profluuio magis magisque in dies ingruerant. Inter haec etiam varia subinde superuenerunt pathemata, quae obstructorum viscerum qualiumcunque mouebant suspicionem, eo probabiliorem, quod saepe prioribus annis recurrens icterus aegram adflixerat. Quamquam igitur omnibus singulisque his malis efficacissima opponebantur remedia: euentus tamen optabilis neutiquam respondit expectationi.

§. II.

a) *Epistolar. Familiar. libr. XI. ep. XIII.*

§. II.

Adultior morbus.

Tunc temporis forte mala accidit fortuna, ut optima mater super labrum (*Waschzober*) prolaberetur, ad huius marginem graui concussa allisu. Debeaturne huic lapsui, nec ne? elapso demum anno succedens atrocis huius morbi incrementum, neque adferere audeo, neque negare. Saltem ineunte quinquagesimo primo aetatis anno valetudo nostrae aegrotae, in peius ruere coepit. Quippe in umbilicali abdominis regione eminuit tumor satis insignis: quem facile congeriem infartarum glandularum mesentericarum existimasses. Praeter remediorum resoluentium, intus datorum, usum, de quo deinde luculentius exponemus, aptissima quoque apposita sunt externa: sed sine omni laetabili effectu. Ceterum super vera huius mali natura atque sede maxime ancipitem animum meum effecit variabilis huius tumoris situs: qui eo vergebat, quo aegrotae decubitus inclinauit. Hinc, quoniam abdominis musculi erant laxissimi et ad sufficientem renisum impotentes, paene de herniosa quadam intestini huius illiusue prominentia cogitare coepissem, nisi insignior huius tumoris durities et fixior in sinistro umbilicali latere sedes contrariae sententiae fidem fecisset.

§. III.

Symptomata concurrentia.

Verumenim vero hoc ex tempore morbus in dies magis magisque ingrauescebat. Sensim enim aegrotam

=

9

tam et ciborum appetitus, et somnus deserere coepit: ad quae, progrediente nunc quinquagesimo primo anno, febricula accessit lentescens, non aequè ex arteriarum ictu, ac ex virium iactura conspicua; quam simul nimis parca adsumtorum ciborum copia, nutriendo corpori insufficiens, augebat. Ceterum, quidquid alimentorum adsumsit aegra, optime digestionè subactum videbatur; quoniam redditae faeces aluinae, tam colore, quam conspage naturae conueniebant. Fuerunt autem sub commodissimorum remediorum vsu horum symptomatum variae vicissitudines: quippe mox redibat ciborum appetentia, mox penitus iterum erat sublata; mox fessos artus aliquis occupabat somnus, mox denuo prorsus cessabat; mox cibos, non sine cupiditate adsumptos, spontaneus remouebat vomitus; mox leuissimus algor febriculae erat index, mox fere inobseruabilis rubor aegrae a phlogosi subfundebatur. Intercurrebant quoque subinde, sed paullo rarius, praecordiorum angores. Inter has vero nunquam interruptas symptomatum vicissitudinas magis magisque corporis exhauriebantur vires.

§. IV.

Morbus tandem internecinus.

Quarto demum ante desideratissimae matris mortem mense subito et ex improviso, nocturno tempore, vehementissimus superuenit vomitus, a quo mera pituita cum bilis subuiridis pauxillo est reiecta. Quo facto omnia haec atque singula, quae diximus, symptomata, vomitus nempe pituitosi et

B

ex

ex parte biliosi, accessiones febriles, et cetera, adeo pedetentim increuerunt, vt, infractis denique viribus, aegra lecto adfigeretur. Eo quoque ex tempore praedictus abdominis tumor, quotiescunque paullo firmitus tangebatur, obscurum prodidit dolorem, non mutata tamen priori, qua conspicuus fuerat, magnitudine. Proinde quoque hic ipse tumor non peculiaribus remediis externis attentandus est visus: sed omnis medentis cura eo est directa, vt, quae existimabatur maximi esse periculi, lenta febris, et ab hac oriunda summa virium defectio, quoad eius maxime fieri posset, opportunis remediis coerceretur. Verum enim vero omnia haec in cassum cepit adhibita, neque medici responderunt expectationi; quod longe acerbior hostis, ac ad speciem videri poterat, velut in latibulis suis hic delitescerat.

§. V.

Tumoris incrementum.

At enim sex circiter hebdomadibus ante aegrotae mortem hic ipse hostis aperte palamque in scenam prodire coepit. Tunc enim temporis saepe iam memoratus abdominis tumor cum insigni cepit incrementum, tum etiam digitis tactus et blande compressus admodum doluit, eaque de causa fingularem et exquisitam medentis meruit attentionem. Ergo adfecto huic loco extrinsecus superimposita sunt cataplasmata emollientia: a quibus, aliquot dierum interuallo elapso, non solum insigniter auctus est tumor, sed etiam velut vrente dolore intestino est incitatus. Ad haec materies quaedam ibidem intus fluctuans

fluctuans tactu est obseruata: licet externa cutis eodem loco ne vestigium quidem topicae ostenderet inflammationis, sed sine omni rubore naturalem albicantem haberet colorem, parumque tantum ob tumidam expansionem splenderet. Verum enim vero vt fluctuanti materiae extrorsum daretur via, incisus est, lege artis chirurgicae, tumor: vnde tantum circiter effusum est ichoris valde foetidi et nigricantibus striis remixti, quantum duo vascula minima, ex quibus theae infusum sorberi solet, capere possent.

§. VI.

Totius morbi extrema.

Quo facto aliqua rediturae valetudinis spes adfulsit: quippe tam lenta febricula, inter conspicuas, licet exiguas, remissiones, nonnihil imminuebatur; quam somnus etiam aegram subinde alleuabat. Cetera vero symptomata eodem gradu persistebant. Praeter haec clysteres, Kaempferiana methodo parati et applicati, magnam emouerunt copiam pituitae, oui albumen simulantis, adeoque tenacis, vt in fila duci posset. Vix autem elapsis octo diebus coaluit denuo hic abscessus: remanente tamen tumore duriori, paullo profundius sito. Quam ob causam praedictorum cataplasmatum vsus adhuc est continuatus: ea quidem spe, fore, vt superstes adhuc ibidem infarta materies aut eandem per viam eiici, aut saltem per intestinalem tubum aliaue corporis cola eliminari possit. Sed haec quoque spes ad irritum cecidit. Eadem enim tumoris mansit du-

rities, increuit denuo febris, et exeunte tertia hebdomade subsecuta est mors; cuius velut praecursores erant, tertio antecedente die, vehementes pituitae bilisque per vomitum reiectiones, postero die continuo fere singultu comitatae; qui etiam per interualla ad extremum vsque vitae finem durauit, licet priores iam defuissent.

§. VII.

Nascenti morbo medendi ratio.

Vt autem intelligatis, lectores beneuoli, quibusnam medicamentis nascentem, quem exposui, morbum coërcere annisus sum; singula omnia nunc accurate enarrabo. Scilicet omni illo tempore, quod memorabilis illius tumoris exortum antecesserat, eo medelam praecipue direxi, vt probabili viscerum hypochondriacorum obstructioni motibusque spasticis exinde oriundis per idonea resoluentia et sopientia obuiam irem. Praescripsi ergo sequentia: Rec. gumm. galbani, asae foetidae aa. drachm. duas; extract. angelicae, rhabarbari aquosi, in maris balneo parati, aa. drachm. vnam; castorei Moscouitici, croci orientalis, aa. semidrachmam; opii Thebaici grana quindecim; m. f. pilul. cum essent. castorei q. s. pond. granor. duor. conspergant, pulu. liquirit. D. S. mane et post meridiem quinque pilulae sumendae. Porro rec. salis tartari puri drachm. vnam, satur. aceto vini et admisce tinctur. rhabarb. aquos. vnciam vnam; extract. gramin. maior. taraxaci, in baln. maris parati, aa. drachm. vnam; aquae benedictae Rulandi sesquidrachmam: m. f. elixirium, D. S.

S. quotidie ter quaterue octoginta aut centum guttulae adsumendae.

§. VIII.

Adultiori morbo opposita remedia.

Quam primum vero tumor iste abdominalis in conspectum venerat, mutata nonnihil est medendi methodus, additaeque sunt efficaciora resolutiva, tam interna, quam externa. Vtriusque generis hae fuerunt formulae: Rec. gumm. galbani, asae foetidae aa drachm. duas; saponis Hispanici sesquidrachmam; sulphuris antimonii aurati drachmam vnam; puluer. radic. senega drachm. duas. m. f. cum acet. scillit. q. s. pilulae pond. granor. duor. adspargantur semine lycopodii, D. S. mane, post meridiem, et vesperi octo decemue pilulae in singulas doses adsumendae. Potioni quotidianae inferuit sequens liquor: Rec. Sacchari lactis semunciam; salis acetosellae duo scrupulos; tartari emetici grana tria: solve leni coctura in aquae fontanae mensura vna; d. f. in singulos dies dosis bibenda. Ipsi tumori inunctum est sequens linimentum, superimposito dein, quod dicemus, emplastro. Rec. olei flor. chamomill. coct. semunciam; spiritus salis ammoniac. vnciam vnam: m. f. linimentum, per diem aliquoties applicandum. Porro rec. emplastr. de cicuta vnciam vnam, de ammoniaco Foresti drachmas duas: m. f. emplastrum.

Febri lentae opposita.

Principem vero attentionem meruit superueniens ista febris lenta: sub cuius accessione posteriorum istarum pilularum vsus aegrotae est interdictus, seruata tamen ista, quam descripsimus, potione auctoque simul nonnihil tartari emetici pondere. Pilularum vero loco sequens datum est elixirium: Rec. salis tartari depurati drachm. duas, satur. aceto scililitico; admisce extract. fumariae, centaurii minoris, graminis maioris, gentianae rubrae, singulorum aquosorum et in maris balneo paratorum, aa. drachm. vnam; aquae flor. chamomill. aquosae nouem vncias, menthae piperit. aquos. vncias tres; tinctur. antimon. Iacobi, martis aperitiuae aa. drachm. duas. m. f. elixirium, d. f. singulis binis horis semicochlear adsumendum. Sub prandio veteris et meraci vini Rhenani aliquot vnciae dabantur simul aegrotae. Verum enim vero cum adeo ingrauesceret febris, viresque conciderent, vt aegrota perpetuo ad lectum adfigeretur, ab hoc quoque elixirio abstinere est iussa, et vti sequenti infuso: Rec. feri lactis optime colati vncias duodecim, vini rhenani vncias tres, pulueris cortic. chinae optimi vncias duas; stent per aliquot dies et frequenter agitentur; colaturae admisce elixirii acidi Halleri sesquidrachmam: m. d. f. singulis binis horis duae vnciae (*eine halbe Theetasse voll*) hauriendae. Ab horum medicamentorum vsu aliquamdiu continuato imminui coepit febris: quo facto ipsius optimi corticis Peruuiani puluis, in tener-

nerrimum pollinem redactus, quotidie quater, quinquies, sexiesue, ad semidrachmam pro singulis dosibus, est datus, adiecto semper tartari emetici semigrano, in veteri vino Rhenano soluto. Intermedio tempore acidum Hallerianum, ad decem guttas cum feri lactis mensura vna vnciisque quatuor vini optimi Rhenaui mixtum, praedicta methodo dosique aegrae est propinatum. Praeter haec supra memorati Kaempfiani clysteres singulis diebus bis terue sunt iniecti: qui plerumque penitus resorpti intestinorum canali non iterum exierunt. Ad extremum hoc quoque referri oportet, cataplasmatum, tumori incrementi inpositarum, hanc fuisse formulam: Rec. herb. althaeae, maluae, flor. sambuci aa. manipul. duo; farinae semin. lini vnciam vnam: conc. f. Species, coquantur cum lactis q. s. et addito mellis paulillo tepide applicentur in forma cataplasmatum.

§. X.

Steatoma ventriculi incisione detectum.

Verum enim vero partim optimae matris mors, quae soli summo virium defectui deberi videbatur, partim, et hic maxime, durus iste abdominis tumor, etiam nunc post mortem superstes, permouit me, vt, indagandae curatius sedis et causae huius morbi gratia, ab incidendo venerabilis parentis corpore, licet moestissimo animo, mihi non temperarem. Aperto igitur abdomine protinus in conspectum venit fatis magnus durusque iste tumor in prominente ventriculi fundo haerens, quem per efferorem, ob loci situm vix euitabilem, mesenterio in-

insidere putaueram. Inciso hoc ipso vitiato ventriculi fundo deprehendi materiem subpinguem corruptique lardi similem, sua tunica inclusum; quod tumorum genus *steatoma* medici appellare solent. Exterior huius tumoris superficies iam in foetidum ichorosum liquamen dissolui coeperat: interiori vero facie, quae a fundo ventriculi ad pylorum vsque pertingebat, villosa tunica penitus erat destructa et velut abrafa. In reliquo intestinorum tractu nihil contra naturam mutatum deprehendebatur; nisi quod passim aliquot mesenterii glandulae obstructae essent. Hepar ceterum, cum reliquis visceribus collatum, iusto maius erat, colorisque ex albo rubicundi, cum annexa cystide fellea, concentratae bilis plenissima. Lien contra naturali magnitudine minor et velut contractum videbatur. Saniesne forte ista acerrima, quae ex steatomate stillauit, tanto irritamento ventriculi neruos incitauit, vt exinde apoplexia spasmodica per consensum subnasceretur? Saltem hoc memini, moribundam iam matrem saepe numero manu caput attigisse, tanquam hoc do-
leret.

§. XI.

Epicripsis pathologica.

Supereft, vt pauca quaedam, ad praesentis steatomatis causas pertinentia, adiiciam; plura enim et absolutiora proferre et consternatus adhuc a recenti casu vetat animus, et dolor narrando recrudescens. In contextu celluloso omnium corporis humani locorum viscerumque huiusmodi tumorum genus,
coacto

coacto et concreto pingui, qui intus haeret, humore, oriri posse, experientia docuit. Forte igitur nascenti praesenti steatomati occasionem dedit grauis illa optima matris ad labrum allifio (§. II.): quae, si recte memini, pleno exporrectoque post partum ventriculo, adeoque maiori eius arcui, accidit. Ab huius enim generis violentia nasci posse steatomata, iam celeberrimus IOANNES ZACHARIAS PLATNERVS b) adfirmavit. Sed adde sanguinem, iam antea per portarum venam tarde difficulterque meantem, inde in confiniis viscerum connexorum ad venarum arteriarumque coniunctiones pressum, ipsam oleosam cellularum materiem inde impedita reorptam: et habebis profecto, vnde steatomatis ortum facile deducas. Adde corpus a natura praepingue, et recordare icteri, motuum hypochondriacorum, mensium praemature suppressorum, et ceterorum adfectuum (§. I.): et ortus huius rationes intelliges. Quod si plura velis euoluenda, satisfaciet tibi iam supra citatus GOTHOFREDVS SANDIVS c): qui magno scientiae physiologicae et pathologicae apparatus argumentum hoc subtiliter et expositè disputavit. Idem clarissimus vir iconem quoque rarissimi huius, quod explicuit, steatomatis adiecit. Dum haec scribo, coram est aliud rarissimi huius tumoris exemplar, quod mecum illustris huius academiae medico in ordine Professor,

prin-

b) In *instituzion. chirurg. rational.* §. 764.

c) In *tota differs. allegar.*

C

principisque terrarum Borufficarum haeredis a consiliis aulicis, IOANNES CHRISTOPHORVS ANDREAS MAYER, meusque maxime venerandus praeceptor, beneuole communicauit. Initium capit enorme hoc steatoma ab ipsa cardia, totumque fundum cum omni eius ambitu, potioemque minoris arcus partem occupat, interiectumque his locis ventriculi cauum tumore suo duro et inaequali tantum explet, vt medio, qui interest, meatu vix scriptorius calamus transmitti possit.

§. XII.

Peroratio.

Ingenue fateor, me, dum viueret optima mater, in peculiari atrocis mali sede constituenda errasse. Si qui ergo sint, qui me in proposita quoque, qua vsus sum, medendi methodo culpabunt, eos considerare oportet: resoluentium et antispasmodicorum medicamentorum vim atque efficacitatem non esse singularem et velut topicam, sed generatim omnibus humani corporis partibus, quae resolutione et lenimento egent consentaneam atque opportunam. Quod si vero porro acrius instent, meminerint verborum summi HERMANNI BOERHAAVE, in haud dissimili discrimine versati: *Vtinam, dicentis d), valeret medici exercitati ingenium perspicere tale malum primo in ortu, quando formari modo incipit! Vtinam et tunc impedire nossent semel incepti luxuriantis pinguis vltiorem diffusionem! Tum demum*

d) In *hiflor. alsera atrocis rarissimique morbi*; pag. 118. *Opufe.*

mum spes foret, mala haec cognosci cauerique posse. Et paulo post: Quum in externis sub cute enata steatomata, manui, pertractationi, potentibus remediis chirurgicis, exposita, non possint prohiberi, ne au-geantur: quid de interioribus putes? Sane! quoties iactatorum turbam, talia se posse gloriantem, audio, toties vellem scirrhos, caneros, carcinomata, meliceridas, atheromata, steatomata, in exterioribus patentia, fidis auxiliis auferendo exemplum efficacis darent scientiae! Sapientes enim, talia extra potestatem artis esse, candidi agnosunt, tristes dolent.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



✓

01 A 6631


ULB Halle

3

004 931 246







Farbkarte #13

B.I.G.

MEMORABILE
VENTRICVLI
STEATOMA



PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. IVLII MDCCLXXXVI.
SVPREMAM DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME MERITVRVS
PVBLICA DISSERTATIONE

DISCEPTABIT
AVCTOR
DANIEL FRIDERICVS BURCHARD,
STRAVSBERGENSIS MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.